BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
EVNDEMQVE
AD
AVDIENDAM
ORATIONEM FVNEBREM
QVA
PIIS MANIBVS
DOCTORIS THEOLOGI,
FAMA, MERITIS ET DOCTRINA MAGNI,
DOMINI
SAMVELIS SCHELGVIGII,
PARENTANDVM EST,
QVANTA POTEST, CVLTVS ET HVMANITATIS
SIGNIFICATIONE
INVITAT
PETRVS IAENICHIVS,
GYMNASII THORVN. RECT. ET P. P.

THORVNII,
Impressit Ioh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.

Bene quidem Senibus, Deo caris, est, qui confecto vitae cursu & attritis laborandi curarumque assiduitate viribus, placido veluti somno sopiti conquiescunt, & ad aeternas Beatorum sedes fati indulgentia commigrant. At vero illis tamen luctuosus maxime eorum est & notabilis exitus, qui, fulti ipsorum auxilio & aetatis auctoritate, res suas feliciter egerunt, tum & grata recolunt recordatione cumulum meritorum. Cuiusmodi certe omnium consensu existimamus esse,qui Reipublicae aut coetus divinioris rebus cum laude praefuerunt easque sua rexerunt prudentia & consilii gravitate, quorum tanto semper maius est desiderium, quanto longiori tempore multorum felicitas ipsorum cura stetit. Sunt autem egregii aetate & prudentia graves divinae mentis interpretes commune aliquod bonum, coelesti beneficio orbi commodatum, ac propterea illi a veteribus Ebraeorum Magistris, proverbio admodum Scripturae convenienti, bonum omen in Domo Domini appellati. Non dudum est, ex quo tanti & tam salutaris boni usura vivi adhuc & superstitis frui potuimus, in Venerando & religiosissimo Sene, SAMVELE SCHELGVIGIO, Gura-Silesio, Doctore Theologo & Antistite Sacrorum ad S. S. Trinitatis itemque Athenaei Gedanensis Rectore, maxima laudis spatia illustri meritorum splendore emenso. In hoc sane non modo sapientia, quae senem decet, longo usu firmata, sed & multiplicis doctrinae copia ac religio mentis eluxit, revera ut dux ac magister ad pietatem & sapientiam esset. Cuius si infinitos labores, odia & inimicitias seculi, temporum iniurias, contra quas tamen in sustinendo firmus ubique & maximi Ducis exemplo impavidus extitit, intuemur, parum recte existimaremus, si extra possessionem, qua nunc gaudet, desideratae tantopere quietis & praemiorum longius constitutum optaremus

mus

mus. Vtut e re videretur noſtra, qui diutius ſupereſſet, & eximia ſua agendi virtute, conſilio & opera communem religionis & literarũ ſalutem tueretur. Vnus ergo ille dies XIIX. Ianuarii, qui hoc anno fatalis tanto fuit Viro, luctuoſus admodum & ad poſteritatem commemorandus venit, qui non modo SCHELGVIGIVM abſtulit, ſed ne clades haec eſſet ſola, & alium quoque de literis & rebus ſacris praeclare meritum Virum, IO. GEORGIUM ROESERVM, Doctorem Theologum, & quod Sedini Pomeranorum floret, Paedagogii Carolini Rectorem & P. P. multo clariſſimum. At vero SCHELGVIGIANORVM, quae omnem opinionem vincunt, meritorum lux, quanto clarius per dimidii fere ſeculi ſpatium explenduit in Pruſſia, tanto maiori induſtria & attentione nobis eſt contemplanda. Multa enim Vir optimus non tantum ſcripſit in religionis negotio & pro doctrina coeleſti ſanctiſſime cuſtodienda, ſed & dixit & concionatus eſt religioſe. Admirabili autem & Socratica imitandi laude ipſe praeſtitit omnia, quae ad pietatis & ſapientiae ſtudia, reiectis inanibus ſimulachris fictaque ſanctimoniae ſpecie graviter inculcabat praecepta. Nihil egit ipſe, quin proficeret publice, nihil ſcripſit, quin doceret, nihil dixit, quin moveret. Erant in dicendo ſvaves aculei & profluens quaedam orationis copia, in ſcribendo elucebat ingenii acumen & perſpicuitas, ut ſummi omnino Doctoris publici ſapientiae quoque & ſacrae diſciplinae interpretis exemplum referret. Hoc modo amorem ſibi auditorum conciliavit, animosque eorum ſvavitate & arcano quodam vinculo copulavit. Nec minus factum eſt, ut ex Scholis, quas Thorunii pariter & Gedani habuit, non cohortem ſed copias in literatum orbem, in Eccleſias ac virtutum & ſcientiarum officinas eduxerit, quae magno literarum commodo rempublicam ornant, & induſtriam magiſtri in patria iuxta & univerſo orbe, qui eſt meliorum partium, illuſtri & memorabili exemplo oſtendunt. Thorunium delatus, miſeras tum temporis, prouti erat ſeculi infelicitas, & proſtratas Gymnaſii res inveniebat, belloque & peſtilentiae contagione omnia fere deperdita: atque ideo Numinis beneficio factum, ut cum KOENIGIO, Rectore, Viro literatiſſimo, reſtaurandis literarum ſtudiis exitu plane fortunato daretur. Haec & alia cum ponderamus animo, fas omnino eſt, Viri, qui Thorunii docuit cum laude, & urbis ſplendorem doctrina & induſtria amplificavit ac demerendis Patronis civibusque invigilavit

enixe

enixe, memoriam quodammodo renovandam custodiendamque nobis esse arbitremur. Non enim maius praemium statui bene de nobis meritis in hac mortalitate potest, quam si iucundis gratisque recordationibus laudes & curas, quibus sibi nos devinxerunt, prosequamur. Non culpando, opinor, nunc instituto maiorum inhærebo vestigiis, qui elaborarunt impense, ut memoriam Clarissimorum Virorum ac speciatim CONRADI GRASERI & ERNESTI KOENIGII, quorum praeclara in Gymnasii regimine obeundo extitit opera, publico laudis monumento celebrarent. Atque in Conrado commendando vel ipsi optimi Scholae Curatores magnam liberalis animi gloriam sunt consecuti, quando, data publico nomine B. CZIMMERMANNO, Sacerdoti praecipuo ac sacrarum Literarum Doctori omnino eruditis cognito, iuxta & M. IACOBO GERARDO, laudandi provincia, editoque a se scripto amoris & benevolentiae pleno, Viri merita posteritati tradenda censuerunt. Proinde iam tantisper querelarum de SCHELGVIGII iactura inducias faciam, supremum pietatis officium, quod tanto Theologo ac sigillatim Affini desideratissimo debetur, die VII. Febr. quo solenni exequiarum pompa Gedani efferetur, FVNEBRI ORATIONE persoluturus. Vos autem, docti & literati Cives Thorunenses, id detis, quaesumus, famae Theologi, qui inter vos olim floruit, & bene cumprimis de iuventute vestra in Scholis meritus est, ut constituta die, hora II. pomeridiana in Auditorio Gymnasii maximo prompti & frequentes conveniatis. Qvam maxime autem oramus, Vrbis PROCERES ET FAVTORES, MAGNIF. ET AMPLISS. BVRGGRABIVM REGIVM ET PROTOSCHOLARCHAM, PRAESIDEM, RELIQVOSQVE CONSVLES ET SCHOLARCH. EXPERIENTISS. PHYS. ET MEDICOS, VENERABILES SACRORVM DISPENSATORES: SPECTABIL. IVDICIORVM CONSESSVM, aliosque literarum amantes, ut non minus SAMVELIS DANTISCANI, quam Oratoris causa testatum sua praesentia faciant, quo loco habeant liberalis doctrinae studia, & quam cupide bene de iisdem mereri laborantes ornare velint. P. P. Dominica IIII. p. Epiphanias, Anno recuperatae salutis cIↃ IↃcc XV.